



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio XLIII. De Irregul. quæ ex aliis delictis contrahuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

ministrare, nisi ex dispensatione: ita ut cum in prædictis iuribus dicitur clericos, reuertentes ab hæresi recipi posse in suis ordinibus: sensus sit, posse in hoc cum eis dispensari, non vero quod ipsi possint sua auctoritate tale ministerium usurpare: promotio autem ad superiores ordines neque ex dispensatione illis concedenda sit. Atque in hoc sensu videtur consuetudine recepta hæc irregularitas. Quæ etiam supponitur à Clemente Octauo in quadam Bulla, quæ refertur in Directorio Inquisitorum, quæ incipit: Cum sicut, ubi concedit Inquisitoribus potestatem dispensandi in hac irregularitate, de qua facultate infra dicemus.

Clem. VIII.

An hæreticus per accidens occultus illam incurrat.

Ratio dubit.

C. Inter sollicitudines, de Purgatione canonica.

Bern. Diaz. Inl. Clar. Castro.

Vera sent.

Simanch.

Penna.

A præfert. & Couarruias lib. 2. Variarum, cap. 8. n. Couarr. 4. & Bernard. Diaz cum Salzedo in Practica criminali, c. 114. ergo à fortiori dicendum est, ad incurrendam hanc irregularitatem non esse necessariam sententiam declaratoriam criminis. Quod si hoc ita est, profecto nec notorietas facti erit necessaria: nam quando ius, se ipso infert poenam propter delictum, non requirit aliam probationem, vel notitiam, præter exteriorem commissionem delicti. Dicere autem hanc irregularitatem non imponi ut poenam huius delicti, sed propter alias considerationes infamiae, & periculi, gratis dictum est, & præter verba iurum, quæ absolute loquuntur de hæreticis, solum quia hæretici sunt. Eo vel maxime, quod hæretici eo ipso infames sunt, ut Castro supra late ostendit: eadem ergo ratione sunt ipso iure irregulares. Tandem confirmatur hæc pars ex prædicta concessione Clementis Octauo, quæ supponit hanc irregularitatem contrahi ex ipso delicto. Reliqua vero, quæ in contrarium asserbantur, ex dictis soluta sunt, & authores, qui aliquando tacent hæc irregularitatem sub hoc nomine, illam comprehendunt sub generali nomine inhabilitatis ad officia, & beneficia Ecclesiastica.

De dispensatione huius irregularitatis.

Superest ut de dispensatione huius irregularitatis pauca notemus: est enim questio inter autores, an aliquis præter Summum Pontificem possit in illa dispensare. Et communis sententia negat, Syluester, Maiol. Franciscus Penna, & Nauarrus supra, & Zanchinus in tractat. de Hæreticis, cap. 38. & Emericus in directorio Inquisitorum, 3. part. quart. Maiol. 126. dicit, Inquisitores non posse in hoc dispensare: Penna ex quo aperte sequitur solum Papam posse: quia Inquisitores in hoc negotio ad minimum habent æqualem cum Episcopis potestatem. Refert item Pina ibidem Commen. 175. Pium Quintum anno 1567. & Pontificatus sui 2. inhibuisse generali Inquisitori Hispaniæ, ne posset cum clericis lapsis in hæresim dispensare, ut vel ad superiores ordines ascendant, vel si Sacerdotes sint, possint in altaris ministerio deferuire. Et per hanc inhibitionem putat esse reuocatum concessionem Clementis Septimi, supra citatam, qua tribuit facultatem Inquisitori ad dispensandum in hac irregularitate. Vel certe dici potest, illam concessionem fuisse personalem, & non perpetuam, quantum ex tenore eius colligi potest. Denique certum videtur non fuisse vsum receptam, ideoque standum esse iuri communi, nisi constet in aliquo esse à Pontificibus immutatum.

Est autem commune ius ut hæc irregularitas quoad promotionem sit indispensabilis, ut supra vidimus: & ideo in hoc solus Papa habet potestatem. Et fortasse etiam dicta concessio Clementis ad hoc non extendebatur: sed id quod Episcopis in iure datur, Inquisitoribus Clemens concessit. Quoad vsum autem ordinum iam susceptorum, non videtur hæc dispensatio Pontifici reseruata: nam iura citata dicunt clericum ex hæresi conuersum posse recipi in ordine, quem prius habebat: non potest autem intelligi hoc posse fieri ex dispensatione solius Pontificis, nam hoc modo etiam potest dispensari: ut promoueatur ad altiorem ordinem: ergo intelligitur id fieri posse ex ordinaria dispensatione Episcoporum. Non apparet autem nouum ius, quo hæc facultas Episcopis sublata sit. Imo Pius Quintus in citata prohibitione (si tamen illa à nobis est admittenda, vel ad Episcopos extendenda) supponit, generalem Inquisitorem habere hanc potestatem, limitat autem illam quoad vsum Sacerdotij in sacrificio altaris, ut nimirum ad illum concedendum Presbytero reuertenti ab hæresi non extendatur. Vnde quoad hoc etiam verisimilior videtur communis

Communis sententia. Syluester. Maiol. Penna. Nauarr. Zanchini. Emericus.

Quoad promotionem solus Papa dispensat in hac irregul. Quoad vsum susceptorum ordinum Episcopi.

Excepto Sacerdote.

sententia, scilicet, dispensationem ad hunc usum esse Summo Pontifici reservatam. Quod idem existimo de dispensatione cum Episcopo heretico, quoad usum Pontificalium: maxime cum horum causæ in materia fidei Pontifici reservatæ sint, c. *Inquisitores*, de Hereticis in 6.

Ultimo circa hoc inquiri potest, quando hæc irregularitas orta est ex delicto occulto, an Episcopi possint in ea dispensare ex vi Concil. Trident. sess. 24. c. 6. de Reformat. Nam Maiolus libro 5. c. 46. n. 6. absolute negat ex illo cap. colligi potestatem hanc dispensandi, sed tantum absolvendi. Contrarium vero affirmat Vivaldus tract. de Irregul. n. 80. & 89. quamvis hic author non videatur omnino in sententia persistere. Mihi tamen videtur, si ius illud integrum est, in eo hanc facultatem concedi, quia ibi generaliter conceditur facultas dispensandi in irregularitatibus, puenientibus ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum: postea vero additur facultas absolvendi à casibus reservatis: ac tandem subiungitur, idem, & in hæresis crimine: quæ verba ad utramque facultatem extendenda sunt, quantum circa utramque difficultatem verificari possunt, quia est fauor, ideoque ampliandus, & contextus ipse optime admittit, imo & talem sensum requirit. Cum eadem tamen limitatione, vt hoc possit Episcopus solum per se ipsum, & non per Vicarium.

Quod igitur dubitari potest, solum est, an ius illud fuerit reuocatum. In superioribus enim diximus, ius illud quoad potestatem absolvendi à censura & culpa hæresis reuocatum esse per Bullam Cœnæ: quoad potestatem vero dispensandi in hac irregularitate, non inuenio illud reuocatum expresse: videri autem potest consequenter ablatum per illam reuocationem, argumento textus in cap. *Cum illorū*, de Sententia excommunicationis, vbi generatim dicitur, Episcopus non habere dispensandi facultatem in his casibus, in quibus absolutio est illis interdicta. Cum maiora illi intelligantur prohibita, quibus verita sunt minora, vbi Glossa, Panormitanus, & alij aduertunt, potestatem dispensandi maiorem vocari, quam potestatem absolvendi ab excommunicatione; & pro regularitate, non posse quem dispensare, vbi non potest absolueret: quamvis è conuerso possit quis interdum absolueret, & non dispensare, quia concessio minori, non propterea conceditur quæ maius est. Quod argumentum adeo apud me virgēs est, vt considerata restrictissima reservatione peccati hæresis quoad absolutionem, quæ nunc est in usu Ecclesiæ, probabilissimum existimem, etiam quoad dispensationem huius irregularitatis nunc esse reservatam Summo Pontifici, non solum quoad promotionem, sed etiam quoad exercitium ordinum. Et ideo fortasse Nauarrus, & alij moderni loquuntur simpliciter & sine limitatione.

SECTIO II.

Ad quas Personas extendatur irregularitas, quæ ob crimen hæresis imponitur.

1. Conclusio.



Rincipio certum est, hæreticorum nomine hic comprehendendi omnes apostatas à fide, quam in Baptismo professi sunt. Nam licet in quodā rigore Theologico apostata dicatur qui totam fidem & Christum omnino negat, siue ad Paganismum siue ad Iudaismum transeat, siue at heus, vel idolorum cultor fiat, hæreticus vero, qui sub nomine Christi aliquid fidei eius retinet, & aliquid negat: tamen quoad propriam rationem culpæ & pertinaciæ omnis hæreticus apostata est, quia omnino recedit ab Ecclesiā, totamque supernaturalem fidem amittit, & è conuerso omnis apostata à fide, quam in Baptismo est professus, hæreticus est, quia pertinaci-

ter sequens iudicium suum, se ab Ecclesiā diuidit. Quod adnotauit Caietanus, 2.2. quæ. 11. art. 1. & in *Ordin. Summæ verb. Apostasia*, & alij. Qui conueniunt in assertionem positam: nam huiusmodi Apostata in omnes incidit hæreticorum penas, scilicet, excommunicationis, confiscationis bonorum, & similes. argum. cap. *Non potest*, 2. quæ. 7. ex Concil. Toletano 4. cap. 64. & est communis sententia Innocentij, Hostiensis, & aliorum in ca. 1. de Apostatis. Eymerici in 2. part. Directorij, quæst. 49. & ibi Francisci Pennæ Commentar. Penæ 74. & potest etiam colligi ex cap. *Contra Christianos*, de Hereticis in 6. ergo etiam incurrat penam huius irregularitatis. Vnde omnia, quæ dicta sunt de hæretico, eodem modo applicanda sunt ad huiusmodi apostatam fidei, quia & hæreticus est, & hæretico deterior.

Statim vero occurrit dubitatio, si quis exterius metu, vel humana aliqua cupiditate adductus, fide apostata, & adoret idola, vel ad paganismum transeat, interius tamen semper fidem retineat, an incidat in hanc irregularitatem. Nam Moderni aliqui sententia hoc affirmant, vt contrarium dicant esse hæresim Hellesitarum, non satis distinguentes culpam ab irregularitate. Qui enim negaret illam esse grauissimam culpam, cum illis sentiret hæreticis, qui dicebāt, non esse peccatum negare Christum in tormētis ore, aut externo opere, dummodo corde retineatur, contra Paulum dicentem: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem*, ad Rom. 10. non sufficit ergo interna fides, sed externa etiam confessio necessaria est ad salutem. Est ergo de hæc certum, illam esse grauissimam culpam, vt latius tractatur. 2. quæ. 10. & 12. Quod autem propter hanc culpam eadem irregularitas incurratur, non habet illam certitudinē, nullibi enim definitur. Imo res est, de qua satis dubitari potest: nam iuxta communem, & vtiorem sententiam, hæreticus mere exterior, qui corde non negauit fidem, non incidit in excommunicationem propriam hæreticorum: ergo neque apostata mere exterior: ergo idem dicendum est de utroque quoad irregularitatem, quia non est maior ratio de hac pena, quam de excommunicatione, si utraq; fertur propter crimen hæresis. Quia sicut non est hæreticus simpliciter, qui exterius tantum hæresim profert sine errore mentis, ita neq; est simpliciter apostata, qui exteriori significatione, non tamen corde & animo ad falsam religionem transit. Nihilominus probabilius cenfeo, propter hoc peccatum incurrī irregularitatem. Ad quam probandam adduci solet Canon. 61. Apostolorum. Sed in eo neque est sermo de omnibus fidelibus, sed de clericis, nec imponitur aliqua pena ipso iure, sed de clerico timore humano negante nomen Christi, dicitur, *excommunicatur*, scilicet, ab Ecclesiā per excommunicationem: denegante vero nomen clerici dicitur, *deponatur*. Magis colligitur hæc irregularitas ex Concil. Ancyran. c. 1. 2. & sequentibus, & habetur in cap. *Presbyteros*, dist. 50. ibi enim aperte dicitur, eos, qui ex timore immolauerunt idola, aut alio simili signo negauerunt fidem, non posse ad sacrum ministerium accedere. De laicis vero queritur, quando non ex solo timore, sed ex absoluta coactione & necessitate, quidpiā simile exterius agere coguntur, an possint ad clericatum promoueri: & respondetur posse, quia in eo nihil peccauerunt: supponitur ergo, quando peccando, & deficiendo in debita fidei confessione, extimorē id faciunt, non posse promoueri, quod est irregulare fieri. Et ad illam incurrendam sufficere censetur peccatum commissum ex timore humano contra debitam fidei confessionem. Vnde pena illa formaliter non fertur ob infidelitatem aut hæresim, sed ob idololatriā, aut quamcunq; aliam similem fidei negationem. Atque ita sentiunt Syluest. verb. *Irregularitas*, n. 7. & infinuat Angel. n. 27. & Tabiena *Tabiena*, *Irregularitas*, 4. num. 7.

De dispensatione vero huius irregularitatis dicitur in eodem capit. Presbyteros, cum Presbyteris dispensari posse, ut honorem Sedis propriæ retineant, non vero ut in Sacerdotali officio ministrent, aut offerant, aut sermonem ad populum habeant: Quod est valde notandum, nam hæc suspensio à munere prædicationis, cum in rigore non sit actus ordinis, non est intrinseca omni irregularitati, in hac autem specialiter exprimitur. Similiter de Diaconis dicitur, post conversionem posse habere aliquem honorem, non tamen ministerium sui officij. Nisi forte (additur ibi) aliqui Episcoporum consueverint laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere, penes ipsos erit de his potestas. De inferioribus vero clericis nihil dicitur, à fortiori tamen idem circa illos conceditur. Itaque quoad promotionem ad superiores ordines, vel omnino ad ordines hæc irregularitas indispensabilis est, nisi per Pontificem: quoad vsum vero in ordinibus susceptis vsque ad Diaconatum, conceditur potestas Episcopo ex gravi aliqua causa: Presbyterij autem dispensatio, etiam quoad vsum reservata est Summo Pontifici.

Atq; hæc procedunt circa hos, qui per timorem lapsi sunt. Nam de his, qui sua sponte per cupiditatem, vel alium similem respectum hoc modo peccant, dicitur inferius in eodem ca. indignos quidem esse humanitatem, eis tamen benevolentiam commodari, vbi Glossa declarat, dabitur ei sustentatio. Tamen illa ultima pars illius textus sumpta est ex Concil. Nicæno i. c. ii. vbi grauis poenitentia his lapsis imponitur, & post longum tempus ad communionem admittuntur, & hæc est benignitas, quæ illis commodatur. Vnde à fortiori constat horum irregularitatem omnino indispensabilem esse infra Summi Pontificis potestatem. Atque ita sentiunt autores citati. Non probo autem quod Angelus, & Syluester aiunt, cum laicis, qui ex timore ceciderunt, posse Episcopum dispensare, quia nulla dispensatio quoad promotionem ibi conceditur Episcopo: laico autem non potest dispensatio concedi, nisi ut promoueatur. Vnde etiam non probo quod Maiolus supra dicit, in hoc casu facilius dispensari cum laico, ut promoueatur, quàm cum clerico ut ordines exerceat: nullo enim iure hoc probari potest. loquendo de clericis infra Sacerdotes, cumque in hoc nihil speciale ius disponat, ex generali regula & consuetudine iuris, semper est difficilius dispensatio ad promotionem, quam ad vsum. Huc accedit quod statuit de apostatis Concilium Eliberitum, cap. i. vbi post decennium & non antea dicuntur apostata admittendi ad communionem, tantum abest ut ad ordinationem admitti debeant. Verum est, in illo canone non videri esse sermonem de his apostatis exterioribus, de quibus nunc loquimur, sed de his qui à fide recesserunt.

Hæreticorum fautores eandem cum illis irregularitatem incurrunt.

Tertio extendi potest hæc irregularitas ad hæreticorum fautores, receptatores, consilium, auxilium, aut fauorem eis dantes. Ita docet Nauarr. cap. 27. numer. 205. Syluest. verb. Hæresis, i. quæst. 7. Maiol. lib. 5. cap. 4. num. 4. & alij Summistæ & Moderni. Probat autem ex cap. 2. §. Hæretici, de Hæreticis, in 6. vbi idem, quod de hæreticis, statuitur de eorum fautoribus, receptatoribus, & defensoribus, nimirum quod sint inhabiles ad omne Ecclesiasticum beneficium, & officium publicum. In quo textu non caret difficultate, an sub aliquo illorum membrorum ordines comprehendantur: non enim sub priori, scilicet, beneficium, ut per se constat; nec sub posteriori, quia officia publica potius dici videntur ibi magistratus, & similia officia temporalis Reipu-

Ablicæ, cumq; materia sit odiosa & pœnalis, videtur potius restringenda, maxime in irregularitate, quæ requirit ius expressum. Nihilominus autores communiter sub officio ordinum ibi comprehendere intelligunt, quia non est ibi tantum sermo de officiis temporalibus, sed etiam de Ecclesiasticis, inter quæ officia ordines sine dubio computantur. Præterea supra diximus, suspensior. em ab officio includere suspensionem ab ordine: ita ergo in præsentia. Nam quod addatur illa particula, publicum, non refert, quia etiam officium ordinum publicum est: hunc ergo intellectum tanquam veriorum, & communiter receptum in tota hac disputatione supponimus. Citatur etiam ad hoc cap. Si quis omnem, i. q. 7. Sed inde nihil colligi potest videtur, nisi fortasse a simili: quod argumentum in præsentia infirmum est. Prior vero textus videtur sufficiens, præsertim quia fere semper in iure hi equiparantur hæreticis, vel potius quasi hæretici reputantur. Quod etiam supra vidimus exponendo Bullam Cœnæ. Quapropter omnia, quæ diximus de irregularitate hæreticorum, in his etiam locum habent.

Addit vero Maiolus supra, etiam illum fieri irregularem, qui sacramenta præbet hæretico iam conuerso, & poenitentia agenti. Citatque Speculatorem tit. de Dispensatione, §. iuxta, vers. 7. & Bernardum Diaz in Practica, cap. 107. alias 115. vbi nihil aliud dicit, quam quod statuitur in cap. Excommunicamus, §. Credentes, vers. Si vero clerici, & vers. Sane clerici, de Hæreticis, in quo, iuxta verum intellectum sermo est de clericis ministrantibus sacramenta his fautoribus hæreticorum in sua malicia perseverantibus, vel saltem nondum ab excommunicatione absolutis. Poena vero, quæ his clericis imponitur, non est irregularitas, neque alia ipso iure incurrenda: sic enim dicitur, Alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur, absque indulto Sedis Apostolicæ speciali: vbi verbum illud priuentur, cum sit de futuro, & actionem hominis imperet, iuxta communem regulam iuris peritorum non significat poenam ipso iure latam, sed ferendam. Igitur ex vi illius textus nullam irregularitatem incurrere video propter hoc delictum: neque alias speciales ipso iure latas. Videntur tamen huiusmodi clerici fieri suspecti de hæresi, & fauere hæreticis: quando ministrant sacramenta hæretico, vel fautori hæretici perseveranti in suo errore, vel delicto; non tamen quando post peractam poenitentiam id faciunt: imo licet aliquis id faciat ante absolutionem à censura: potius fauet excommunicato, quàm hæretico, & ideo non credo ad illum extendi hanc irregularitatem. Quæ autem sint censendi fautores hæreticorum, sufficienter attingimus supra circa Bullam Cœnæ, & videri potest Eymericus in Directorio, quæstion. 50. & sequentibus.

Schismatici an poenam irregularitatis incurrant.

Quarto extenditur hæc irregularitas ad schismaticos, iuxta sententiam, quam refert, & sequitur Maiol. supra numer. 4. & Franciscus Penna in Directorio p. 2. comment. 73. referens Canonistas In cap. Quia diligentia, de Elect. Qui solum asserunt, schismaticum etiam post abjuratum schisma manere inhabilem ad beneficium, & dignitates Ecclesiasticas: quod quidem habet in illo textu magnam fundamentum: nam dispensatio tantum eius electio confirmanda dicitur: de irregularitate vero nihil asserunt dicti Doctores; neque colligi potest ex illo textu, probari autem solet ex cap. 1. de Schismaticis, &c. Qui contra, 2. q. 1. Hanc vero extensionem omiserunt Summistæ, & Nauarrus supra & merito: nam si sumatur schisma, ut aliquam hæresim includat, sic

lit 4 dit, sic

dit, sic schismatici includuntur sub hæreticis, & hoc modo dicitur schisma non esse sine hæresi, in capit. Inter schisma, 23. q. 3. Et in eodem sensu videtur loqui dictum capit. 1. de schismaticis: nam illi schismatici hæresiarum ibidem vocantur, sic ergo schismatici sunt irregulares, quia sunt hæretici; imo omnes hæretici schismatici sunt, quamvis non conuertantur, ut dixit D. Thom. 2. 2. qu. 39. At proprie schismatici prout distinguuntur ab hæreticis, sunt illi qui Romanam Ecclesiam scindunt, non quidem male sentientes de potestate Summi Pontificis, sed conantes usurpare eam dignitatem, vel in aliquem, cui iure non competit, illam transferre: & pro his schismaticis non inuenio irregularitatem ipso iure impositam. Nam in dict. cap. 1. de Schismaticis (licet demus de his proprie loqui iuxta Rubricam, quæ distincta est ab altera de hæreticis) nullum est verbum, quod irregularitatem significet: sed primū indicatur suspensio à potestate ordinandi, ibi, *ordinationes ab eis factas irritas esse censemus*. Deinde indicatur suspensio à collatione beneficiorum, & administratione Ecclesiarum, ut latius inter suspensiones declarauimus. In dict. aut capit. *Qui contra*, generaliter est sermo de his, qui agunt contra pacem Ecclesie, sub quibus merito includuntur schismatici: tamen poenæ, quæ ibi designantur, omnes sunt per homines imponendæ, ut in textu manifestum est. Denique in capit. *In nomine Domini*, 23. d. ubi contra hos schismaticos poenæ afferuntur, nulla sit mentio irregularitatis, sed grauissimi anathematis ipso facto incurrendi, & depositionis, non ipso facto impositæ, sed ferendæ: verba enim textus sunt. *Ab omni Ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat prius sine retractione deponatur*. Idemque intelligi potest ex cap. *Licet*, de Electione, & cap. *Vbi periculum*, eod. tit. in 6. & ex Theologis in propria materia & Summis verbis. *Schismatici*, qui recedentes schismaticorum poenas, huius non meminerunt. De quo etiam videri potest Eymericus cum Commentariis Francisci Pennæ in 2. p. Directorij, q. 48 & Turrecremata lib. 4. Summæ, p. 1. c. 8.

Suspectus de hæresi an incurrat hæreticorum irregularitatem.

Quinto extenditur hæc irregularitas ad suspectos de hæresi, ut late tractat Maiolus lib. 3. capit. 17. quamvis ibi indicet hanc irregularitatem, non tam pertinere ad poenam hæresis, quam ad irregularitatem ex infamia, de qua infra dicturi sumus. probat autem hanc irregularitatem ex ca. ult. d. 30. vbi sic dicitur, *Iste non obediens, nec suspensionem hæresis à se remouens, deponatur de ordine clericatus, & ex cap. Infames*, 6. qu. 1. vbi & suspecti, & rectam fidem non habentes, ad sacros gradus dicuntur non prouehendi. Idemque non obscure colligitur ex capit. *Inter sollicitudines*, de Purgatione canonica.

Aduertere autem possumus, suspensionem hæc interdum prouenire ex alio crimine includente cooperationem ad hæresim, quale est fauere, recipere, E aut defendere familiaritatem habere cum hæretico & in hoc genere suspensionis duplex irregularitas videtur incurri, vna ratione talis criminis, iuxta superius dicta, alia ratione suspensionis vehementis de hæresi. Nihilominus tamen existimo vtramque incurri per modum vnius, vel potius esse vnam tantum. Quamquam enim verum sit, vtramque rationem in illo casu esse per se sufficientem ad inducendam irregularitatem: tamen, cum per se imposita sit propter tale crimen, quod intrinsece & per se habet coniunctam talent suspensionem, vel infamiam, propter vtramque rationem imposita est: sicut hæreticus ipse non incurrit duas irregularitates, vnam propter delictum, aliam propter infamiam. Aliquando vero inducitur hæc suspicio ex alio crimine, quod formaliter non in-

cludit cooperationem, fauorem, aut defensionem hæreticorum, ut videtur esse schisma, aliquo enim modo reddit hominem suspectum de hæresi, iuxta Extrauagant. *Ad certitudinem*, de Sentent. excomm. 3. caput. Similis est suspicio iuris de illo, qui per annum excommunicationem sustinuit, iuxta cap. *Cum contumacia*, de Hæreticis in 6. & cap. *Excommunicamus*, 1. §. *Qui autem*, de Hæreticis: & generalius in Tridentino sess. 25. capit. 3. De quibus, & de aliis causis huius suspensionis videri potest Franciscus Penna in Directorio 3. part. Comment. 24. numer. 109 cum aliis quos allegat. Et in his casibus quamvis ratione talis delicti per se non incuratur irregularitas, incurri tamen potest ratione suspensionis. Differt tamen hæc irregularitas à præcedente, quod hæc non imponitur proprie per modum poenæ, sed solum per modum indecentiæ ortæ ex infamia, ideoque ablatam tali infamia, & purgata suspicione, auferetur talis irregularitas, ut patebit ex dicendis infra de infamia. Vnde maiori ratione hoc dicendum erit, si contingat, hanc suspensionem generari absque aliquo delicto, ut quia aliquis natus est, vel educatus inter hæreticos, vel quia necessitate aliqua compellus, ad eorum terras confugit, vel quia bona fide cum eis familiaritatem habuit ignorans eorum errores. In his enim & similibus casibus sufficienter purgata suspicione, auferri existimo irregularitatem. Atque ita sentit Maiolus supra.

Denique aduerto, suspensionem hanc duplicem à nobis distinguere posse, vnam iuris, & alteram facti. Prior est quando inducitur per indicia iure probata, ut est illud de pertinacia vnius anni in excommunicatione posterior est quando ex conditione ipsius operis abque alia iuris dispositione talis suspicio generatur. Inter quas prior suspicio videtur esse maior, magisque certa, maioremque purgationem requirere: posterior autem prudenti arbitrio iudicanda est, non tamen sine magno fundamento est admittenda. De qua re, præter citatos auctores, videri potest Bernardus Diaz in Practica capit. 148. & plura dicemus infra agentes de infamia.

Sexto hinc facile intelligitur alia extensio huius irregularitatis, quam dicuntur etiam incurrit, qui pactum cum dæmone habent, eumque colunt, aut inuocant, vel responsa ab eo petunt: formaliter enim nullam inuenio irregularitatem in iure propter hoc crimen impositam. Tamen, per hoc delictum aliquis de hæresi suspectus efficitur, ut tradidit Glossa in cap. *Accusatus*, §. *Sane*, verb. *Sapienter*, de Hæret. in 6. quam esse communiter receptam affirmat Penna in Directorio, 3. part. Comment. 24. nu. 109. & Zanchinus tractat. de Hæreticis cap. 21. num. 7. & sumi potest ex capit. *Non obsecratis*, cum aliis, 26. quæst. 7. Hanc ergo ob causam potest ex tali facto irregularitas contrahi, non quidem per se ratione delicti, sed quando tale fuerit, ut suspensionem hæresis inducat: quod in aliis criminibus obseruandum est, de quibus postea dicemus.

SECTIO III.

Vtrum, Hæc irregularitas ad hæreticorum filios, & ad neophytos in fide extendatur.

Vod ad filios & nepotes hæreticorum attinet expressa est iuris dispositio in cap. 2. §. *Hæretici*, de Hæreticis, in 6. vbi idem canonicum impedimentum, quod imponitur hæreticis, & fautori- bus eorum, ad filios illorum vsque ad secundam generationem extenditur. Quod declarat ex cap. *Statutum*, 2. eodem tit. Primo quoad nepotes, seu tandem secundam generationem, ut solum habeat locum in fi-

D. Thom.

Cap. Qui contra 24. q. 1.

Cap. In nomine Domini 23. d.

Eymeric. Penna. Turrecrema.

Maiol.

ca. ult. d. 30.

ca. Infames 6. Inter sollicitudines de Purgat. ca. non.

Primum caput unde potest hæc suspicio prouenire.

3 Caput huius suspitionis.

in filiis per lineam paternam: per matrem vero in prima generatione filiat. Quod fortasse ideo factum est, quia filius magis videtur patrem representare vel imitari, quam matrem. Hoc autem ita intelligitur, ut si mater fuerit hæretica, filij eius, non autem nepotes, irregulares sint: si autem pater fuerit hæreticus, filius, & nepotes irregulares fiant: filia vero non est capax irregularitatis, neque etiam eius filij eam incurrunt, quia iam descendunt ab hæretico per lineam paternam, & sui partis conditionem sequuntur. Vide Anton. Gomez libr. 3. Var. capit. 2. numer. 4. Secundo intelligitur tantum de filiis hæreticorum, qui in suo errore, & diuisione ab Ecclesia moriuntur. Nam, si conuertantur & reconcilientur Ecclesie, filij non contrahunt talem inhabilitatem. Et in hoc voluit lex constituere differentiam inter ipsummet, qui crimen committit, & eius filios: nam ille, quamuis Ecclesie reconcilietur, adhuc manet irregularis, donec dispensetur: filij vero non indigent dispensatione post parentis reconciliationem. Meritoque hæc moderatio lata est hæc pœna: nam licet ob criminis grauiatam, & infamiam, & alias causas potuerint parentes in filiis etiam puniri, ut latius prosequitur Castro de Iusta hæreticorum punitione, cap. 10. nihilominus tamen iuste fuit hæc pœna grauius & inseparabilis imposita ipsi delinquenti, quam eius filijs. Quod etiam utile esse potuit aliquo modo, ut ipsi parentes facilius conuertantur. Denique constat ex eisdem iuribus, hoc non solum de filiis hæreticorum, sed etiam de filiis fautorum, & credentium eorum intelligi, de omnibus enim illis sit expressa mentio in dicto textu. Atque hæc est communis doctrina, ut patet ex Glossa ibi, & Doctoribus, & Summistis verbo, Irregularitas, Nauarro ca. 27. nu. 205. Maiolo libr. 5. cap. 46. Eymeric in directorio Inquisitorum. 3. p. quaest. 114. & 115. vbi Penna materiam latissime disputat, & alios refert: tractatque duas graues quaestiones breuiter expediendas.

² Prior est, de quibus filiis hoc intelligendum sit, Ad quam respondeo omnis opinionibus, de omnibus intelligendum hoc esse: nam cum lex nihil distinguat, sed filios absolute nominet, omnes plane comprehendit, nec nos possumus eam limitare, aut conuenienti aliqua ratione inter filios distinguere. Itaque comprehenduntur in primis filij legitimi, & omnes illegitimi cuiuscunque modi, non enim debent esse melioris conditionis, eo quod turpius geniti sint. Deinde de comprehenduntur filij, siue ante, siue post patris lapsum nati. De qua re generalis controuersia est inter autores, an filij nati ex patre hæretico antequam lapsus fuerit in hæresim, & que participant pœnas, quæ ad filios extenduntur, ac illi, qui post lapsum nati sunt. Cuius patrem negantem defendit Simancas in Catholicis institutionibus tit. 23. cum multis, quos refert. Partem autem affirmantem defendit Castro lib. 2. de Iusta hæreticorum punitione, cap. vlt. & lib. 1. de Potestate legit pœnalis, cap. 7. & Couarr. libr. 2. Variarum, capit. 8. numer. 5. Antonius Gomez tom. 3. Variarum cap. 2. num. 16. & Gregorius Lopez partita 7. tit. 1. l. 2. verb. *Sus filios*, quaest. 1. Quidquid vero fit de aliis pœnis, aut de iure ciuili, vel communi, vel proprio Regni Hispaniæ, quoad pœnam de qua nunc agimus, & quoad ius canonicum, quo introducta est: hæc posterior sententia, atque adeo assertio posita vtriusque nobis videtur. Tum quia etiam quoad hanc partem iura citata generatim & indifferenter loquuntur: tum etiam, quia in dict. ca. *Statutum*, 2. hoc explicatur de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum huiusmodi, qui tales esse, vel tales decessisse probantur. Ergo, ut filius sustineat hanc pœnam, satis est quod pater eius hæreticus esse probetur: hoc autem satis probatur, etiam si post genitum filium in hæresim incidit; alias oportebit probare patrem non

solum esse, sed etiam fuisse hæreticum antequam filium generaret, quod lex non requirit, nec nos possumus illud addere sine maiori fundamento, cum in iure canonico nullum apparet, nec ratio, quæ vrgeat. Nam illa ob quam hæc pœna deriuatur in filios, non est quia parentiam erat infectus quando genuit filium, ut propterea virus in ipsum transfusisse videatur, nam hoc non est veluti originale peccatum, quod per generationem transfundatur; neque hæc pœna est propter cooperationem, aut imitationem paterni delicti (quamquam hæc non minus, vel fortasse magis presumi possent in filio iam nato, quando delictum sit, quam in postea concepto) sed est propter puniendum gratius ipsum patrem, non tantum in se, sed etiam in filiis: ad hoc autem impertinens est, quod filij fuerint iam nati, necne, ante lapsum in hæresim. Aduertendum autem est illud verbum, *Probentur*, quia ut filij incurrant hanc pœnam, necesse est, ut parentes in iudicio fuerint conuicti, vel confessi, vel saltem ut res sit satis publica, & omnibus probata. Dices, ergo etiam si filius hæretici ordinatus sit antequam pater incidere in crimen hæresis, remouendus erit ab executione ordinum. Patet sequela, quia si non esset ordinatus, contraheret irregularitatem: ergo tunc etiam contrahit quædam potest. Consequens autem videtur absurdum, nimirum, ut aliquis priuatur, quo fungitur gradu, quem propria culpa ab illo non deiecit, ut dixit Gregorius libr. 10. Epist. 8. Respondetur, in eo casu probabile esse filium non priuari vsu ordinum, quia iam habet ius acquisitum, ut dixit Glossa in cap. *Satis peruersum*, dist. 50. & sumitur ex Simancas de Catholicis institutionibus tit. 29. n. 20. vbi alios refert. Et ad hoc potest expendi cap. 2. §. *Hæretici*, de hæreticis, in 6. in verb. *Admittantur*, non enim præcipit ut deiciantur, vel ut priuentur beneficijs, aut officijs iam obtentis: idem ergo est de ordinibus. Quod procedit, non solum quando filius acquisiuit ius ante delictum patris in re ipsa commissum, sed etiam si fuit acquisitum ante sententiam declaratoriam criminis propter eandem rationem, ut iidem auctores dicunt.

Altera quaestio est, an dicta declaratio c. *Statutum*, habeat locum in hæreticis relapsis, qui reconcilientur Ecclesie, & brachio seculari traduntur, an scilicet, filij eorum, vel nepotes per illum textum excipiantur ne irregulares fiant. Et est ratio dubij, quia in illo textu limitatio fit ad hæreticorum filios, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur. Sed licet parentes combusti sint, filij eorum non sunt filij talium hæreticorum, qui hæretici esse aut decessisse regul. probentur. Atque hanc partem secuti sunt auctores graues, quos Penna supra citat. Ipse vero contrariam tenet sententiam cum Ioanne Andrea, Simancas, & alijs etiam, quos refert: & videtur hæc fuisse sententia Glossæ in dict. textu, verb. *Reincorporatos*. In quo verbo præcipuam vim faciunt auctores huius sententia: quia non dicuntur Ecclesie reincorporari, nisi qui ad gremium Ecclesie iterum admittuntur. Sed profecto etiam relapsi, si sufficientia Pœnitentia & fidei signa ostendant, absolendi sunt à censurâ, & à culpa, quamuis postea sint corporaliter puniendi: ergo prius reincorporantur Ecclesie, nam per absolutionem à censura fit hæc reincorporatio. Quod autem post hanc admissionem ad Ecclesiam, oporteat in ea persistere diutius, aut non priuari vita corporali, ut illa sit vera incorporatio, nulla videtur sufficienti ratione probari, cum hæc reincorporatio spiritualiter intelligenda sit, solumque fiat per aburationem errorum, & professionem fidei ex parte rei, & absolutionem ex parte Ecclesie.

Sed vrgent, quia textus ille non tantum requirit hos hæreticos emendatos, sed reincorporatos, non potest autem dici emendatus, qui in crimen, quod abiurauerat, relapsus est. Sed hoc minus vrget, nam relapsus, quatenus talis est, non potest dici emendatus à tali

Quid de filiis genitis ante lapsum patris. Castro. Couarr. Anton. Gomez. Greg. Lopez.

Notandum. Gregor.

An filij relapsi qui reconcilientur Ecclesie, & tamen seculari brachio traduntur, sint irregular. Pari assent. Penna. Ioan. And. Simancas. Glossa.

Paras me.

Obiectio. Solutio.

tus à tali lapsu; tamen, si post relapsum, ipsius reincidenti veram poenitentiam agat, ab utroque lapsu potest esse vere emendatus. Et patet, quia prius quam huiusmodi reus absoluitur à censura, & culpa, iudicandus est emendatus, alias non potest digne absolui: at in prædicto casu omnino absolvendus est: ergo supponitur emendatus. Alia verba, quæ in illo textu sequuntur, videtur magis fauere huic sententia, quia non solum requiritur ut isti sint emendati, & reincorporati; sed additur, Et pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ poenitentiam receperint, quam ipsi vel iam perfecerint, vel humiliter persequutioni eius insistant vel parati fuerint ad recipiendam eandem. Per quæ verba satis significari videtur, tale requiri reconciliatorem, quæ admittat veniam & det locum poenitentia, quæ omnia simul sumpta non habent locum in relapsis. Veruntamen neque hæc verba omnino cogunt, præsertim propter illud vltimum membrum distinctiue, vel parati fuerint ad recipiendam eandem: nam hæc pars verificari potest etiam in relapsis vere conuersis, nam ipse paratus est ad recipiendam poenitentiam. Nihilominus modus ille loquendi iuxta communem usum indicat sermonem esse de his: qui ad poenitentiam admittuntur, vel iuridice admitti possunt, ideoque licet prior sententia videatur benignior, hæc in rigore videtur verior. Iuxta quam consequenter idem dicendum est de filiis hæresarchæ, quamvis relapsus non fuerit, quia etiam non ita reincorporatur, ut ad poenitentiam admittatur, prout in eo textu postulari videtur. Idemque dicendum est de illo, qui negat delictum hæresis, de quo conuictus est, & propterea traditur brachio seculari, quia ille nec emendatus dici potest, nec reincorporatus, cum non absoluitur: & in foro Ecclesiæ probatus est esse, & decedere hæreticus quidquid ipse neget. Denique tanta est infamia, quæ ex hac poena parentis filius creatur, ut vel propter eam causam non fuerint excipiendi.

De Neophytis. Secunda conclusio.

DE Neophytis dicendum secundo est, illos esse irregulares. Ut probetur aduerto, vocem, Neophytus, esse ambiguam. Generatim enim significat nouum in statu, vnde aliquando nouitius dicitur Neophytus, tanquam in religionem nouus, cap. ult. distin. 48. & Greg. lib. 7. Epistol. 110. De quo nouitio conuersionis esse solet, an pro tunc sit irregularis ad ordines, de qua alibi dicam, est enim à præsentia materia aliena. Sic etiam dici potest Neophytus in clericali: qui recens ordinatus est, ut sumitur ex multis decretis distinction. 59. & 61. Et in eo considerari potest irregularitas, pertinet vel ad defectum ætatis, vel ad seruanda interstitia Ecclesiastica, vel debitum ordinem ne per saltum ascendat: quæ omnia ad præsens non spectant, & supra tractata sunt. Alii ergo dicunt Neophytus, qui est in fide Christiana nouus, vnde etiam catechumenus sic aliquando vocatur, cap. Neophyti, de Consecrat. dist. 1. ex Conc. Carthaginen. 4. cap. 86. Ille vero etiam non spectat ad præsentem considerationem, quia est plus quam irregularis, ut supra dictum est. Igitur hic Neophytus dicitur, qui in ætate adulta baptizatus est, & nouus est in baptismo: hæc namque duæ conditiones exiure colliguntur: non enim dicuntur Neophyti in fide, nisi vel catechumeni, vel qui post catechismum recenter sunt baptizati, quod solum habet locum in adultis. De hoc ergo Neophyto intelligitur assertio posita, quæ communis est. Censeturque hæc irregularitas Apostolica seu ab Apostolis instituta. Probatur ex illo 1. ad Timoth. 3. Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli. Ibi tamen solum de Episcopo Paulus loquitur. Et ratio quam subiungit, videtur specialiter dignitatem Episcopalem respicere, quia Neophytus

Replicat.

Emendatur.

Resolut.

Vox Neophytus quid significet.

Irregularitas hæc ab Apostolis instituta. 1. ad Tim. 3.

A subito ad illam dignitatem euectus, facile posset in superbiam effertur. Vnde in can. 77. Apost. solum dicitur, Non est æquū, eum, qui ex vita Gentili accesserit, & baptizatus fuerit, protinus Episcopum fieri. Tamen in Conc. Nic. c. 2. æque fit sermo de Episcopatu & presbyterio. Et subditur, Et post baptismum multa probatione indiget: euidens namq. est Apostolicum præceptū dicens, Non neophytū, &c. Et in Conc. Laodic. ca. 3. dicitur, Non oportere eos, qui nuper sunt illuminati baptismo, in sacerdotali ordine promoueri. At vero in Conc. Arelat. 2. cap. 1. dicitur, O dinari ad Diaconatum, vel Sacerdotii officium neophytam non debere. Et in Conc. Sardic. c. 13. dicitur, Ne ratio, nec disciplina patitur, ut temere vel leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est, maxime cum & magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret, denunciasset & prohibuisset. De Subdiaconis, & inferioribus ordinibus non ita expresse loquuntur antiqua iura: nec mirum, quia neq. omnium illorum ordinum inferiorum est ita frequens mentio in illis. Tamen sine dubio dum de Diaconatu loquuntur, vel Presbyterio, cū proportionem reliquos ordines subintelligunt, cum alias sepe statuant eadem iura, in omnibus ordinibus seruandam esse debitam probationem in inferiori, prius quā ad superiorem ascendatur, ut videlicet fere tota d. 59. & 61. & in Conc. Romano sub Syluestro, cap. 11. & in Tridentino sess. 23. in Reformat. cap. 11. & sequentibus. Vnde Greg. libr. 4. epist. 51. alias cap. 95. Ad sacros inquit ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibebat. Vbi non videtur loqui de ordinibus sacris in eorum, quo nunc maiores ordines ita vocamus: sed absolute de toto clericali ordine. Ratio etiam, quam Paulus insinuat, in omnibus ordinibus cū proportionem locum habere: nam in quolibet ordine inchoatur suo modo Ecclesiastica dignitas, & ideo in quolibet esse potest elationis periculum, si inordinate ad illum ascendatur. Accedunt etiam alia rationes, quæ in citatis canonibus attinguntur: quia recenter conuersus ad fidem, neque in doctrina fidei potest esse satis instructus, neque in Ecclesiasticis rebus expertus, imo neque in constantia fidei satis probatus.

Queret tamen aliquis, quanto tempore iudicandus sit aliquis neophytus, ut possit post baptismum suscipere ordines recipere, quia iura nihil circa hoc specialiter disponunt, sed absolute loquuntur de neophyto, & ad summum vocant recenter illum natum seu baptizatum. Quanto autem tempore dicendus sit recenter baptizatus, non declarant. Solum dicit Gregor. in dict. Epist. 110. libr. 5. Neophytus tunc dicebatur, qui in intro sancta fidei erat eruditione plantatus, ut refert Gratianus: nam in originali solum dicitur, Qui in sancta fide erat eruditione plantatus, libro autem 4. Epist. 51. addit, Qui adhuc non iterum in fide plantatus. Et subiungit, nunc etiam neophytum reputari, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione. Quanto autem tempore, aut quomodo indicandus sit nouiter plantatus in fide, nulla certa regula videtur posse discerni. Nisi quis fortasse dicat, eū, qui in adulta ætate baptizatus est, semper reputari recenter conuersum, etiam si multo tempore reuiuagita ut nūquā possit sine dispensatione ordinari. Sed hoc nullo iure fundari potest, imo oppositum insinuant citata iura, quia in eis dicitur, neophytum non esse admittendum vsq. ad sufficientem probationem, & instructionem, id est, donec neophytus esse desinat: ergo non est necesse ut sic baptizatus, semper neophytus sit. Ad quod etiam faciunt verba illa c. Eam re de Rescriptis. Pro eo vero quod Iudeus existeret, eum designari non debes. Vbi Doctores, & specialiter Felinus 12. notant, infidelitatem præcedentem non nocere conuerso, ut promouetur, nisi fuerit hæreticus, vel nisi fuerit de recenti conuersus. Hinc Nauarr. ca. 27. num. 205. ait, non esse reputandum neophytum, qui

aut

ante decem, vel plures annos conuersus est: quod non alia ratione, vel textu probat, est tamen per se verisimile, quia tempus decem annorum sufficientissimum est ad probationem, instructionem, & experientiam, quam Ecclesia in neophytis desiderat: & quia decem tempus adeo diuturnum in iure existimatur, & quasi perpetuum reputetur.

Conclusio. Dico tamen nullam posse certam temporis regulam in hoc negotio assignari, sed prudens iudicium necessarium esse, quia nec tempus diuturnum sufficit, si alia necessaria non concurrant, & tot signa fidei, charitatis, doctrinae, prudentiae, & aliarum virtutum concurrere possunt, vt intra breue tempus possit aliquis ordinari: sic enim aliquando legimus factum in Ecclesia, vt sanctissimi viri statim ad Episcopatum repente eligantur, etiam ante susceptum baptismum. Vnde est illud Ambrosii epistolae 82. alias 25. Neophytus prohibetur ordinari ne extollatur in superbiā: sed, si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non heret, vitium non imputatur. Quae verba ita retulit Gratianus distinctione 61. cap. Neophytus. Ambrosius vero cum de sua ordinatione loqueretur, interposuit haec verba notanda, Si dilato ordinationi desunt, vis cogentis est, quae nimirum est humilitatem & dignitatem electi demonstrabit. Existimo tamen hoc prudens iudicium quoad inferiores clericos ad Episcopum pertinere, nam quoad Episcopos proprium est Summi Pontificis, a quo debent confirmari: quoad alios vero committendum non est iudicio cuiuscunque prudentis, aut inferioris, pastoris cum approbatio ordinandorum ad Episcopum pertineat: neque etiam videtur Episcopis hac facultas deneganda, cum in hoc iura nihil disponant, nec certum tempus limitent. Neque est haec propria dispensatio in irregularitate, quia haec irregularitas non habet certum durationis tempus, & ita solum est quaedam authentica declaratio, quod talis irregularitas in tali persona finita iam sit. Vnde, si contingeret, propter necessitatem alicuius Ecclesiae, & penuriam ministrorum expedire aliquē adhuc neophytum, & per se ac absolute non dum satis habilem ad ordines, ad ordines admitti, non credo id posse fieri arbitrio solius Episcopi, sed necessariam esse dispensationem Pontificis, quia illa iam non est declaratio finitae irregularitatis, sed dispensatio in illa, quae cum sit dispensatio in precepto Apostolico, & nullibi legatur Episcopo commissa, non videtur ei permittenda. Quin potius, quoties aliquis ab ipsomet baptismo (vel sic dicam) ad ordines assumendus est, quantumvis propter insignes animi dotes assumatur, videtur necessaria dispensatio Pontificis: quia non obstat quacunque alia dignitate personali, necessaria est aliqua temporis dilatio moralis, ideoque nunquam id factum, & probatum legimus, nisi ex aliqua speciali motione Spiritus sancti, & interueniente publico consensu Ecclesiae seu Episcoporum, ac fere semper ipsius etiam Summi Pontificis.

Tertia Conclusio. Dico tertio, Filij neophytorum, qui ante vsum rationis baptizantur, irregulares non sunt. Probat quia ipsi non sunt neophyti, vt ex dictis patet, nec quia parentes eorum sunt, vel fuerunt neophyti, ideo ipsi sunt irregulares: quia in iure talis extensio non inuenitur. Proceditque haec assertio, siue hi filij nati sint post baptizatos parentes, siue antea, dum modo ante vsum rationis baptizati sint. Imo etiam habet locum, licet parentes baptizati non fuerint, obeandem rationem, quod ipsi nunquam sunt neophyti, & ob conditionem parentum nullibi sunt irregulares. Neque in hoc est eadem ratio de his, & de filiis haereticorum, quia ibi causa irregularitatis est delictum parentis, quod punitur etiam in filiis, & redundat in infamiam eorum: hic autem irregularitas parentis non est propter delictum, sed solum propter nouitatem status, quae in ipso causat indecentiam ad ascendendum subito ad clericalem sta-

A tum, quae nouitas non habet locum in filio, qui ab infantia baptizatus est, neque in eo causat indecentiam, aut veram infamiam apud Deum. Atque ita sentit Nauarr. dict. nu. 205. Qui consequenter inferunt non esse irregulares illos, qui vulgo, Christiani noui, appellantur, quia illi non tantum filij sunt, sed nepotes, vel in alio etiam inferiori gradu descendentes à Christianis, quia à Iudaismo, vel Paganismo conuersi sunt ad fidem. Hoc autem intelligendum est cum duplici limitatione. Vna est, vt intelligatur ex vi iuris communis, nam per statuta particularia alicuius Regni, vel Prouinciæ possunt excludi. Oportet tamen vt talia statuta per Sedem Apostolicam confirmata sint. Alia est, vt hoc intelligatur per se, & ex vi talis originis: nam si aliunde talis persona sit suspecta in fide, ex hoc capite erit irregularis, iuxta superius dicta, oportet tamē vt suspicio sit rationabilis & prudens & in individuo de tali persona, alioquin iniuria illi fieret, ideoque hoc suspicionis genus, quod alicubi generale est in opinione vulgi, per se non sufficit ad reddendas irregulares particulares personas, licet possit sufficere vt interueniente Pontificis autoritate, possint condi statuta, quibus excludantur.

Sed obijci potest contra hanc partem, cap. Constituit, 17. quæstion. 4. quod sic habet, Constituit Summum Concilium, vt Iudei aut hi qui ex Iudeis sunt officia publica nullatenus appetant. Vbi Iudei appellari videntur, qui ex Iudaismo ad fidem conuersi sunt, & Glossa videtur exponere, & cum ea Tiraquellus in tract. de Penis temporandis, caus. 51. numero decimo nono, hi autem, qui ex Iudeis sunt, dici videntur filij talium Iudeorum: ergo etiam filij horum neophytorum sunt irregulares ex vi illius textus. Respondeo, textum illum sumptum esse ex Concilio Toletano Quarto, Cano. 65. in quo manifeste est Sermo de Iudeis, qui illo tempore in Hispania legem suam profiteri mittebantur. Quod patet cum ex ipsa Iudeorum appellatione: nunquam enim Concilium homines iam baptizatos & ad fidem conuersos, Iudeos appellauit: tum etiam, quia statim distinguit illos à Christianis, dicens, quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt. Nec Glossa, aut Tiraquellus aliter vocem illam, Iudei, interpretantur: sed sub alia scilicet, qui ex Iudeis sunt, comprehendunt eos, qui ex Iudeis de nouo sunt ad fidem conuersi: quod non obstat his, quae diximus, nam licet hunc sensum admittamus, isti non excludantur, quia filij Iudeorum sunt, sed quia ipsi neophyti sunt. Per se autem est difficilis illa interpretatio, quia hos etiam videtur Concilium à Christianis distinguere in verbis ante ponderatis: & ideo verisimilis est alia Glossæ interpretatio, ex Iudeis, ibi appellari omnes familiares eorum, seu qui ex familia eorum sunt præsertim filij familias, vt ibi Turrecremata cum aliis notauit, late impugnans priorem expositionem. Vbi etiam ait, ex Iudeis appellari presbiteros, qui Iudaismum profitebantur, licet ex eorum origine non essent. Adde etiam ibi publica officia iuxta subiectam materiam, appellari Magistratus, & alia officia, quæ pertinent ad politicam & temporalem gubernationem Christianorum, vt ex ipso Concilio satis constat.

SECTIO IV.

Vtrum, propter simoniam vitium, vel aliud religioni contrarium, irregularitas incurralur.



Ircæ quæstionem hanc generatim existimo nullam propriam irregularitatem propter hæc crimina, per se loquedo, seu seclusa infamia, incurri, ex illo fundamento, quod hæc poena non inue-

Nauarr. Coroll. ex- penditur.

C. Constituit. 17 q. 4. obijci- tur. Gloss. Tiraquell.

Expositio.

Conclusio generalis.

inuenitur expresse in iure lata propter hæc crimina. Tamen, ut hoc in specie probemus, & nonnullas irregularitates, quæ ab aliquibus autoribus sine sufficienti fundamento adijciuntur, excludamus, præsentem dubitationem proponimus.

De simonia.

² *Opinio.* **P**rimo ergo de vitio simoniæ, quidam asserunt, siue committatur in ordinibus, siue beneficiis, inducit irregularitatem, tam in dante, quam in recipiente, ut ait Maiolus libr. 4. cap. 23. & latius libr. 5. cap. 45. cum Speculatore tit. de Dispensatione, §. iuxta, ver. secundo in simonia, qui aperte loquuntur de propria irregularitate, non de suspensione. Nam Speculator subdit, huiusmodi irregularem ministrando non incurrere novam irregularitatem: & Maiolus dicit hoc esse verum, quantum est ex vi prioris irregularitatis: nam ratione excommunicationis, quam etiam simoniacus incurrat, ministrando fit iterum irregularis: quod dicere non potuissent si loquerentur de suspensione, & non de propria irregularitate. Hæc vero sententia quoad hanc posteriorem partem falsa est: nam simoniacus in ordine suscepto, celebrans sine dispensatione fit irregularis, non solum quia excommunicatus est, sed etiam quia propriissime suspensus per cap. Si quis, de Simonia. Vbi hæc suspensio in tres personas fertur simoniam in ordine committentes, scilicet, præsentantem, ordinantem, & ordinatum: non tamen æqualiter, neque quoad eadem ministeria, & ideo non etiam æqualiter incurrunt hanc irregularitatem ministrando, sed cum proportionem, unusquisque, scilicet, in actu sibi prohibito, iuxta supra dicta de Suspensione. Disput. 31. sect. 4.

³ *Improbatur quoad priorem partem. Si iura que contra illam allegantur, exponuntur.* Atque hinc præterea colligo, falsum esse primum dictum huius sententiæ, quia nullum est decretum in iure, quod distincte loquatur de irregularitate, sed de suspensione, propter hoc crimen. Quod patet in primis ex dict. c. Si quis, quod dicti autores pro se allegant. Afferunt etiam capit. Tanta, eodem tit. in quo prius dicitur, Omnis peccator Missam cantare potest, præter simoniacum. Deinde additur, à quolibet posse accusari, ut ab ordine male accepto remoueat. Veruntamen priora verba ad summum probant, simoniacum habere canonicum impedimentum, ut celebrare non possit: quod verum est ratione suspensionis, & excommunicationis. Sensus enim illorum verborum esse debet, omnem peccatorem, si nihil aliud quam peccatum illi obstat, penitentiam agendo, posse Missam cantare: simoniacum autem, etiam si illam agat, non posse, quia habet aliud impedimentum. Hinc autem irregularitatem inferre, nihil aliud est, quam ex genere speciem affirmatiue colligere. Posteriora autem verba ex vi sua, non solum irregularitatem, verum neque aliam poenam ipsi facto incurrendam, imponunt, ut patet ex illo verbo, remoueat, coniungendo tamen poenas impositas in alijs iuribus, sensus illius verbi est, ut remoueat, cogendo illum ad obseruandam suspensionem, quam incurrat. Addere item possumus cap. De hoc, eodem tit. ubi propter simoniam in beneficii susceptione commissam, perpetua depositio imponenda dicitur, & idem innuatur in cap. Per suas, eod. tit. Veruntamen illa etiam non est irregularitas: quia ibi non agitur de poena ipsi iure imposita, sed ab homine imponenda. Possunt item verba illa intelligi de executione illius suspensionis, quam alia iura imponunt, scilicet enim suspensio de se perpetua, depositio in iure vocatur. Citatur præterea cap. Statuimus decretum, & cap. Erga simoniacos, §. i. quæst. 1. Sed in hoc posteriori solum dicitur, simoniacos omnino damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus. Quæ verba non sufficiunt, & eundem sensum habent, quem diximus. In priori vero

Cap. De hoc simo. C. Per suas, eod. tit.

Ca. Ergo, §. i.

⁴ *Ratio in d. tration.* A textu dicitur, à proprio gradu decidant, quod verbum significare videtur depositionem. Tamen, quia non additur verbum, ipso iure, & potest aliquis per se cadere, vel ab alio decessus, ideo illa etiam verba explicari possunt de suspensione perpetua ab homine imponenda, iuxta alia verba, quæ paulo inferius ibidem subiunguntur. Ab officio male accepto remoueat. Et, licet intelligantur de suspensione ipso iure, nihil faciunt ad irregularitatem probandam.

⁵ *Solutio.* Tandem vero addi potest in confirmationem huius sententiæ, quia simoniacus, in iure hæretico comparatur, & ideo hæresis appellari solet, ut patet in dicto c. Per suas, de Simonia, & cap. Presentium, §. qui, ergo sicut hæreticus fit irregularis, ita & simoniacus. Maxime cum hoc crimen etiam comparatur crimini idololatriæ, & illi quodammodo præponatur cap. Cum omnis, & cap. Eos qui, quæst. 1. iuncta Glossa ibi: comparatur etiam crimini lese Maiestatis, iuxta l. Si quemquæ, vbi Baldus, Cod. de Episcopis & clericis. Denique dicitur maius quolibet alio crimine in dict. cap. Per suas, & in c. vlt. §. q. 7. ergo si per idololatriam, & alia minora vitia incurrunt irregularitas, multo magis per simoniam. Veruntamen hæc etiam ratio non probat: primo quidem, quia simonia non dicitur hæresis per proprietatem, ut per se manifestum est, quia non est vitium inducens errorem in intellectu, sed prauitatem in affectu, circa taliam materiam: per quamdam autem metaphoram seu exaggerationem ita vocatur, quia simoniacus opere ipso videtur profiteri male sentire de rebus sacris, ut docuit D. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 1. lex autem, quæ poenam imponit propter crimen aliquod, secundum proprietatem intelligenda est. Deinde certum est, hoc vitium non esse maius, neque æquale omnibus alijs præsertim hæresi, & idololatriæ, quæ magis directe offendunt Deum ipsum, vel ius in propria materia dicendum est: sed iura interduca loquuntur, vel per exaggerationem, vel iuxta subiectam materiam, loquendo, scilicet, de peccatis fidelium, & clericorum, quæ dici solent crimina mere Ecclesiastica, ut videre licet in Julio Claro libr. 5. tit. Cuius. Simonia. Et maxime intendunt iura dicere, hoc crimen esse valde perniciosum Ecclesiæ, propter prauitatem ad illud, cum illius enormitate. De quo videri potest Turrescremata in dict. cap. Patet, & in cap. Eos, & in ca. Cito, §. q. Denique (quidquid sit de criminum comparatione) certum est, eam non sufficere ad extendendam irregularitatem ad casum in iure non expressum, qualis est hic de quo agimus. Multo autem improbabilius est, quod Maiolus supra simpliciter asserit, irregularem fieri qui ordines, aut beneficium per simoniam recipit, etiam si per ignorantiam & absque peccato id fieri contingat: & ideo statim cum sciuerit, debere abstinere, & beneficium dimittere. Nam iuxta veriorum sententiam, sic ordinatus neque suspensus manet, si Episcopus ordinans suspensus antea non erat. Propter simoniam item in beneficio, etiam cognitam, probabilius est non incurrere suspensionem ab ordine: quæ omnia in loco supra citato tractauimus: multo ergo minus in his casibus incurratur irregularitas. Igitur de simonia quoad hoc genus poenæ, nihil addendum est his, quæ de excommunicatione, & de suspensione diximus.

An propter sacrilegium incurratur irregularitas.

⁶ *Ratio in d. tration.* **S**ecundo principaliter dicendum hic est de alijs peccatis contra religionem, de quibus Maiolus libr. 5. ca. 30. generalem regulam statuit, propter crimen sacrilegij irregularitatem incurrere, quam infirmis quæribus per varias species sacrilegiorum declarat, eamque probat, vel per extensionem ab vno ad alia ob paritatem rationis, vel ex generalitate verborum in cap.

Expoditur in c. Infames, c. qu. i. vbi inter alios sacrilegi infantes appellatur, & consequenter irregulares. Sed nunc non agimus de infamia, alioqui multa alia vitia numeranda essent, quæ ibi recensentur: sed agimus de propria pena talis criminis, & hæc ibi non ponitur, neque alicubi generatim, vt recte significauit Bern. Diaz cap. 37. vbi referens doctrinam Hostiensis, qui in Summ. tit. de Accusationibus, §. Qui sit effectus, dixit, sacrilegiū puniri pena depositionis; ipse ait, sacrilegium se habere multipliciter, & ideo considerandam esse speciem eius, quasi dicat; ex vi generis non habere definitam penam, omnibus speciebus communem, & Hostiensem, de sacrilegio, non distributivæ, sed indefinitæ seu de enormi aut grauissimo sacrilegio intelligendum esse. Quam doctrinam ego verissimam existimo, & præsertim quoad penam irregularetatis, in qua maxime argumentum à simili validum non est, sed videamus de singulis.

Primus modus irregularitatis, parameta, calices, &c. Quæ videtur probabiliter colligi ex cap. Si quis Presbyter aut Diaconus, d. 50. Vbi de committente hoc delictum dicitur, Placuit in ordinatione Ecclesiastica non haberi. Quæ verba satis videntur irregularitatem indicare, Omnes tamen expositores locum illū intelligunt de quadam depositione accommodata delicto, nimirum, quia talis clericus remoueri debet ab administratione rerum Ecclesiasticarum. Vel etiam de depositione, aut suspensione ab ordine, si crimen tali pena dignum fuerit iudicio Episcopi, cui totū hoc negotium ibidem committitur.

Secundus modus irregularitatis, cum moniali, aut sacra virgine. Nam de clerico tale delictum committente dicitur in ca. Si quis Episcopus, 27. q. 1. Deponatur, sicut de laico dicitur, Excommunicetur. Tamen & ex vi ipsius verbi, & ex comparatione dictarum penarum satis constat, illā non esse penam iure impositam, sed ab homine imponendam, atque adeo non esse irregularetatem, sed depositionem per hominem pronuntiandā. Quod etiam constat ex c. Si quæ monacharum, & c. Si quis r. a. pueris, eadē causā, & q. & late exponit Bernard. Diaz, c. 31. Ex verbo ergo, Deponatur, vt dixi, non bene colligitur irregularetas, alias innumeræ essent multiplicandæ, vt patet tota distinctio, 50. cum aliis.

Tertius modus irregularitatis, quæ prædictus autor affert. Primum de Sortilegis, seu Magicis diuinatoribus ex 26. q. 3. per totam, vbi depositionis pena imponitur in ca. Si quis Episcopus, quauis enim Gratianus legat, suspensus, tamen correctiora exemplaria habent, depositus: & sic etiā Glossa interpretatur, & latius Bernard. Diaz, cap. 107. & Syluester verb. Superstitio, q. ii. vbi refert ex Archidiacono, quosdam dixisse, per hoc crimen etiam occultum contrahi irregularetatem, quam opinione ipse non reprobatur, sed reiicienda est, quia talis irregularetas non est in iure expressa. Refert etiam alios dixisse, saltem incurri hanc irregularetatem quando tale delictum est publicum, quod ipse sequitur cum Bernard. in c. 2. de Sortilegis. Refert denique alios, qui hoc etiam negat, quorum sententia verior est, quia talis irregularetas nulli inuenitur. Et patet etiam ex c. 2. de Sortilegis, vbi clericus tantum suspensio vnus anni ab altaris ministerio in penam imponitur, idque non ipso iure, sed per hominem. Huc etiam spectat peccatum apostasiæ ad religionem, vel clericatū, quod irregularetatem inducere dicitur ex c. vlt. d. 50. cum Glossa quæ est proxime ante illud, verb. Apostas. Sed in eo textu tantum dicitur, apostatam à religione, durante eo statu, non esse ad ordines admittendum. An vero incurrat suspensionem si ita impenitens ordinetur, diximus supra. Et videri potest Syluester verb. Apostasia, q. 2. & verb. Dispensatio, nu. 20. vbi significat, hanc quidem esse irregularetatem, dispensat.

Fr. Suarez tom. 5.

A sabilem tamen à prelato religionis, ad quā apostata post penitentiam reducitur. Sed neque ibi talis potestas conceditur, neque alibi, si ideo, si ex vi iuris communis ordinari potest, hoc est, quia non fuit factus simpliciter irregularis, sed durante statu apostasiæ: ita enim potest caput illud commodè intelligi, & fauet c. vlt. de Apostatis, si bene expendatur. Quā rem latius in opere de Religione tractamus.

B Aliud exemplum est de blasphemia, quod non est probabilius quam reliqua, nam iure antiquo depositionis pena imponebatur, vt patet ex c. Si quis, 22. q. 1. de qua pena, quando & quomodo adhibenda esset ab Ecclesiasticis iudicibus, tractant Hostiens. in Summa, tit. de Maledicis, §. Blasphemantes, panor. & alij in c. 2. de Maledicis. Bern. Diaz, c. 110. Nunc vero extat constitutio Concilij Constant. sub Leone X. sess. 9. vbi non imponitur clerico specialis pena ipso iure incurrenda, sed prius postulat. Vt sic cōuictus de crimine, & deinde pro prima & secunda vice leuiore pena imponitur, pro tertia vero priuandus dicitur omnibus beneficiis & dignitatibus, & inhabilis reddi ad similia in futurū: de ordinibus autem nihil dicitur: & pro laicis alia pena imponuntur, nulla facta mentione irregularetatis. Et quibus à fortiori patet idem dicendum esse de peccato periurij: nulla enim irregularetas pro eo fertur in iure, quamuis si clericus sit periurus in iudicio, & in alia causa, seu extra confessionē proprii delicti, reus sit penæ depositionis, non quidem ipso iure lata, sed ab Ecclesiastico iudice imponendæ, vt dicitur in cap. Cum non ab homine, de Iudiciis, & ex canone 25. Apostolorum in c. Presbyter, d. 35. In c. autem, De his, d. 50. dicitur de clericis, qui publice periuri sunt, à gradu suo decedant. Sed præterquam quod textus ille tantum est Rabani, iam supra diximus, verba familia recte intelligi de pena depositionis à pastoralis munere, vel etiam ab ordine, ab homine imponenda. Quod autē ibi dicitur de publico periurio ita puniendo, fortasse olim generatim & indistincte obseruabatur: nunc autem solum in periurio commisso in iudicio dicta pena locum habet: de qua legi potest Abbas in c. Querelam, de Iureiurando. Dec. in dict. c. Cum non ab homine, & Bern. Diaz c. Decius.

C 92. Alia ergo per iura extraiudicialia arbitrio Prælatorum punienda sunt. Et per hæc iudicari facile potest de similibus exemplis, quæ non sunt facile admitenda, sed examinanda iura, nam ex eis expendendo verba, sicuti exemplis adductis fecimus, facile constabit non esse sermonem de irregularetate: Erat autem satis graue & necessarium exemplū de sacrilegio; quod fragendo sigillum confessionis committitur: neque esset hic omittendum, nisi in superiori tomo in materia de penitentia tractatum fuisset.

SECTIO V.

Verum, propter alia crimina, vel statum eorum incurrat irregularitas.

E N quolibet crimine considerari potest, aut solum delictum semel commissum, aut consuetudo, vel frequentia eius, aut perseverantia in illo per impenitentiam. Loquendo ergo de sola commissione criminis, generalis regula statui potest, nullum aliud crimen, præter pauca supra enumerata, & homicidium, sub quo mutilationem comprehendimus, irregularetatem inducere, quia pro nullo legitur in iure imposita, & qui exceptionem adhibuerit, tenetur textum expressum adducere, quod facere non poterit (vt opinor) id quod à fortiori patebit ex dicendis. Itaque, si cætera crimina per penitentiam deleantur, illa commississe non impedit ordinem susceptionem, aut executionem

Mum

neque

*Due regula
à Maiolo in
contrarium
statuta reii-
ciuntur.*

neque ad illam erit necessaria dispensatio, sed abso-
lutio, si forte habeant annexam censuram, ideoque
irregularitatem non inducunt. Contra hanc vero re-
gulam duas alias constituit Maiol. lib. 5. c. 12. in fine.
In priori ait committens quoduis capitale crimen
irregulare fieri, quia omne tale crimen inducit
infamiam, iuxta cap. 111. 6. quæst. 1. quo loco nomi-
nantur illa peccata, de quibus Apostolus ait, *Quonia,*
qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, qualia
sunt omnia mortalia. Veruntamen nunc non agi-
mus de infamia, sed de irregularitate, quæ sit pœna
talis criminis, quæ ibi non imponitur. Neque infamia
incurritur per quodcumque peccatum abso-
lute commissum, sed interueniente contumacia post
Ecclesiæ correctionem, ut ibi Torrecr. mata, & alij
Doctores aduertunt. Citantur etiam Concilium A-
garense, c. 50. & Concilium Aurelianense, c. 9. in quibus
clericis propter capitale crimen deponi iubetur.
Sed hoc etiam parum nos cogit, quia sæpe diximus
hoc satis non esse ad irregularitatem. Ad do, crimen
capitale ibi non significare quodlibet mortale: alio-
qui non statim sub disunctione adderet, *Qui capita-*
le crimen commiserit, aut cartham falsauerit, vel falsum
testimonium dixerit: cum hæc etiam peccata mortalia
sint. Capitale ergo dicitur, quod secundum leges
dignum est pœna capitalis, ut notant expositores in c.
Si Episcopus, d. 50. Huc vero spectat alia regula dicti
auctoris, scilicet, omnia peccata, quæ in lege veteri
erant capitalia, id est, morte digna, in noua inducere
irregularitatem. Solumque probat ex facto Grego-
rij, quod refert Ioannes Diaconus lib. 2. de Vita eius
cap. 16. Sed cum illud non contineatur in iure, non
sufficit ad irregularitatem inducendam, maxime
cum post Gregorium hoc sit in iure declaratum.

*Secunda ge-
neralis regu-
la.*

Secunda regula etiam generalis est, huiusmodi
crimina, quæ non habent in iure irregularitatem an-
nexam quando committuntur, non inducere illam
propter solam durationem seu impenitentiam talis
culpe. Probatur ex eodem principio, quia etiam
propter hanc durationem non legitur in iure irre-
gularitas imposita. Et declaratur in hunc modum:
nam vel hoc esset ex generali ratione status peccati
mortalis, & hoc non ut patet ex ratione facta, &
quia tempus talis durationis definiri non potest. Vel
esset ex statu in hac vel illa specie peccati grauioris,
& hoc etiam dici non potest, quia ubicumque ius im-
ponit irregularitatem propter aliquod crimen, non
fundatur in duratione eius, sed in sola commissione.
ut patet in omnibus supra tractatis. Solent quidem
aliquando iura imponere pœnam contumacibus, &
perseuerantibus in peccato commissio, & sub hac
conditione, & non aliter: sed hoc faciunt in censuris
ferendis: in aliis vero pœnis nunquam considerant
solam permanentiam, sed vel commissionem deli-
cti tantum, vel nouam iterationem, vel aliquid hu-
iusmodi: non est tamen dubium, quin irregula-
ritas pro delicto posset sic imponi, hæcenus vero
nullam inueni, quæ hoc speciali modo imposita sit:
si autem inueniretur, non propterea esset extendenda ad
alia delicta ratione similitudinis, ut sæpe dictum est.

Obiectio.

Dices, eum, qui est in statu peccati mortalis, esse
moraliter inhabilem ad quemcumque ordinem re-
cipiendum, vel exercendum, non solum ob natura-
lem conditionem ipsius peccati mortalis, sed etiam
ob speciale præceptum Apostoli 1. ad Thimoth. 3. O-
portet Episcopum irreprehensibilem esse, & de Diaconis,
Probenur primum, & sic ministrent, nullum crimen ha-
bentes, & ad Titum 1. Oportet Episcopum sine crimine esse:
dicitur autem sine crimine esse, non solum qui pec-
catum mortale nunquam commisit, sed etiam qui
in eo statu non permanet, verumque poenitentia com-
missi peccati egit, & ob eandem causam iam tunc dici
potest irreprehensibilis, licet antea fuerit reprehen-
sione dignus. Per crimen autem intelligunt Augu-
stinus tract. 41. in Ioan. & Beda ad Titum 1, quodlibet

*August.
Beda,*

A peccatum mortale: & refertur dist. 81. c. 1. ubi mul-
ta alia decreta de hac re leguntur. Et faciunt etiam
cap. ult. dist. 24. & c. 1. dist. 81. cum similibus, in quibus
deponendus dicitur, qui in aliquo graui crimine
esse conuincitur. Respondeo, de huiusmodi statu
tu in peccato mortali dupliciter nos loqui posse,
vel in sensu posposito (ut sic dicam) id est, quædiu
durat talis status: vel etiam si auferatur. Loquendo
hoc posteriori modo, certum est ex sola duratione
status peccati mortalis, ut sic, non nasci irregula-
ritatem, quæ maneat cessante tali statu per poeniten-
tiam, & aliquam dispensationem requirit, nullum
enim extat ius, in quo talis irregularitas fudari pos-
sit. Loquor autem per se, nam, si inde generetur ali-
qua infamia, quæ est aliud caput irregularitatis, illud
est accidentarium, aliter ipsi malo subuenien-
dum est, ut postea dicturi sumus. At vero conside-
rando peccatum quamdiu durat, sic dici potest po-
nere impedimentum ordinibus suscipiendis, & exer-
cendis, non canonico iure inuentum, sed diuino, & natu-
rali. An vero dicendum sit maius impedimentum
quam irregularitas, Maiolus lib. 5. cap. 1. absolute
affirmat: fortasse propter maiorem malitiam: tamē
quatenus facilius auferri potest, dici potest minus.
Item quantum ad obligationem non recipiendi or-
dines, vel eis non utendi. Nam recipere primam
tonsuram in mortali peccato, forte non est nouum
peccatum mortale: cum irregularitate autem esse
opinor. Similiter subdiaconum uti officio suo in pec-
cato mortali, non est nouum mortale: cum irre-
gularitate autem erit, iuxta supra dicta, & in tertio To-
mo de Sacramentis in genere. Ratio vero differen-
tiæ est, quia irregularitas directe & quasi ex proprio
instituto continet hanc prohibitionem: peccatum
vero non ita directe, sed solum ratione cuiusdam
indecentiæ, quæ extra ministerium & receptionem
sacramentorum regulariter non censetur adeo gra-
uis. Vnde q. Maiol. supra lib. 5. c. 1. nu. 2. ait, etiam qui in
peccato mortali, etiam occulto, aliquid de suo ordi-
ne exerceat, etiam si solum tangat eas res, quæ sine
ordinibus tangi non possunt, nouum peccatum mor-
tale committere: hoc (inquam) per exaggerationem
dictum videtur, cum nullo iure, vel positio, vel
naturali, probari possit, licet Syluester, & alij Sum-
mistæ interdum ita loquantur, de quo videtur pos-
sunt dicta tertio Tomo, Disputation. 16. sectione ter-
tia. Ad testimonium ergo Diui Pauli respondetur, per
illa verba non induxisse nouum præceptum poeniten-
tium, sed explicasse quod per se debitum est iusti-
tati Ecclesiastici ordinis ac ministerij, ideoque ex il-
lis verbis non colligitur speciale irregularitatem.
Alia vero iura canonica præcipiunt obseruari hoc ip-
sum diuinum ius, aut naturale, & pœnas imponit
transgressoribus illius, non tamen addunt speciale
irregularitatem, nisi in casibus supra numeratis.
Tertia regula esse potest, nullum fieri proprie
irregulare propter frequentiam; vel consuetudi-
nem committendi mortale aliquod crimen. Itaque
ubi peccatum semel commissum non habet in iure
irregularitatem adiunctam, propter solam frequen-
tiam vel consuetudinem non adiungitur illi, quia
oportet hoc ipsum esse in iure expressum, quod
tamen non fit. Et quidem si consuetudo peccandi
sit occulta, regula est recepta sine controuersia, ut
fortiori patebit ex dicendis. De peccato autem pub-
lico est nonnulla dubitatio. Nam aliqui sentiunt,
clericum publicum peccatorem contrahere specia-
lem irregularitatem, ita ut etiam post paratam poe-
nitentiam non possit absque dispensatione ad supe-
riorem ordinem ascendere, vel in proprio ministerio
re. Quod saltem in quibusdam grauioribus crimi-
nibus depositione dignis affirmat Nauarrus ca. 25.
Summe numer. 73. & cap. 27. numer. 154. & numer.
248. & 249. ex cap. vltim. de Temporibus ordinat.
In quam sententiam videtur etiam inclinare Maiolus

Speculat. Ius lib. quint. cap. prim. numer. sexto, & latius cap. 12. per totum, ubi affert Speculatorem tit. de Dispensatione, §. *Iuxta*, & citat plura decreta, vt cap. *Testimonium*, de Testibus cum Glossa, & cap. *De his vero*, & cap. *Sacerdotes*, 50. distinction. & capit. *Si quis Presbyter*, 15. quæstion. octau. & ibidem hoc extendit ad crimina non ita graua, sed mediocria, si publica sint per euidentiam facti, vel per confessionem, aut per sententiam iudicalem, iuxta cap. *Quæstum*, de Tempor. ordin. Vel etiam per publicam infamiam, quæ per purgationem canonicam auferri non potuit. Hæc tamen omnia non constanter affirmat, sed post varia, quæ generatim dicuntur ab autoribus, concludit nihil certum posse in generali dici, nisi ad particularia descendatur. Atque hoc ego verissimum censeo. Opinor igitur, in eo casu non incurri propriam irregularitatem, propter quam sit necessaria dispensatio post peractam penitentiam, seclusa infamia, de qua postea dicemus. Hoc probo, quia nullo iure probatur talis irregularitas.

Improbatur Etenim in citato cap. ult. de Tempor. ord. in primis non est sermo de criminibus in genere, sed de quatuor in particulari, scilicet, homicidio, peritio, adulterio, & falso testimonio. Deinde, excepto homicidio prout ibi etiam excipitur, propter alia non imponitur irregularitas, neque incurri supponitur, neque aliquid aliud impedimentum canonicum, vt supra probauimus Disputatione 31. sect. quart. sed sola supponitur, propter huiusmodi crimen publicum posse clericum, qui tale crimen publice commisit, impediri ab usu ordinum, in quo ius Prelatorum Ecclesiæ, & prouidentia ab eis adhibenda declaratur, non vero speciale impedimentum ipso iure incurrendum imponitur. Multo autem minus probant alia iura. Nam in dict. c. *Testimonium*, non agitur de criminibus, quæ inducunt irregularitatem: sed de his, quæ sufficiunt, vt testimonium alicuius in iudicio non admittatur: quidquid autem de illis sit, nullum argumentum à simili hic admittimus. Solum possunt similia iura deferuire ad explicandum quando, & quomodo ex illis contrahatur infamia, & ratione illius irregularitas. Cap. autem, *De his*, in superiori sect. expositum est, quia nec propriam legem, sed Rabani sententiam, nec verbum, quod indicet penam ipso facto impositam, continet. Cap. autem, *Sacerdotes*, quod potius de suspensione loquitur in dicta sectione de Suspensione late tractatum est. Vbi etiam exposuimus cap. ultim. 15. quæstion. 8. quod ad hoc etiam allegari solet. Caput tamen penultimum seu, *Si quis presbyter*, quod supra citatum est, in primis non est Martini Papæ, sed sumptum ex canonicis Martini Episcopi Bracharen. Deinde in eo non fertur aliqua pena ipso iure, sed ponitur modus, quo puniendus est Presbyter, vel Diaconus, qui subtrahendo peccatum prius commissum, ordinem suscepit. Cum autem ibi dicitur, *Si peccauerit*, intelligendum videtur non de quolibet peccato (quia incredibile est quodcumque peccatum ante ordinationem commissum tam seuerè puniri) sed de peccato quod suscipiendis ordinibus impedimentum affert. Vnde in Concilio Neocæsariensi cap. 9. ex quo videtur Martinus decretum illud sumpsisse, dicitur, *Si corpore prius peccauerat*, &c. & de aliis peccatis secundum veriorum translationem subditur, *Nam reliqua peccata plurimi censuerunt per manus impositionem posse tolli*, ac si diceret, non impediunt ordinationem, si de illis penitentia agatur. Peccatum autem corporu, sine dubio est aliquis lapsus carnis, & communiter exponitur de fornicatione ex capit. *Qui a misit*, 15. q. 8. nam fortasse olim simile peccatum commissum etiam ante ordinationem presbyterij, vel Diaconatus, puniebatur postea in clerico continente tale delictu, vel de illo conuicto. Sed hoc non est nunc in usu, neque ex tali pena propria irregularitas colligi potest. Quapropter, sicut supra dixi non incurri suspensionem.

Ca. Testimonium, de Testibus.

Ca. Si quis Presbyter, 15. q. 8.

A nem propter huiusmodi peccatum publicum, vt, v. g. concubinatum, vel aliquid huiusmodi ita in presenti sentio non incurri irregularitatem, nisi vel ratione infamiae, de qua item dicemus, vel propter aliquod speciale ius, quod solum in delictis supra tractatis inuenitur.

Non omitam tamen aduertere, Maiorem in lib. 5. fere per 40. capita enumerare quam plurima peccata, quæ irregularitatem inducunt. Sed de nullo id satis probat, præter ea: quæ tractauimus, loquendo de propria & canonica irregularitate: sed ingerendum quodlibet impedimentum peccati, aut scandali, & alia huiusmodi, quæ natura sua reddunt illicitum usum ordinum, vocat irregularitates. Sæpe etiam quodlibet censuræ impedimentum irregularitatem appellat, sæpiusque suspensionem, aut depositionem etiam ab homine imponendam, neque amplius probant iura quæ adducit. Quod posset facile ostendere discurrendo per singula tamen obviandam prolixitatem id omitimus, præsertim cum ex multis exemplis in superioribus tractatis facile sit de cæteris ferre iudicium.

DISPUTATIO XLIV.

De irregularitate quæ contrahitur ex delicto homicidij voluntarij.

C VPLEX est hominis occisio, vna iniusta, altera iusta, & prior esse potest voluntaria vel directe, vel indirecte tantum. Illa ergo quæ & iniusta, & directa voluntate fit, retinuit nomen voluntarij homicidij: quæ autem non ita voluntaria est, dicitur casualis, habetque aliquam rationem homicidij, si indirecte saltem voluntaria sit: quod si contingat esse omnino inuoluntariam, dicitur simplex occisio hominis mere casualis, nam homicidium absolute, peccaminosum actum significare solet. Voluntaria vero hominis occisio duplici titulo potest esse iusta, scilicet ratione defensionis, aut publicæ potestatis & causæ. Vnde quadruplex confurgit hominis occisio seu materiale homicidium, scilicet voluntarium, casuale, defensuum, punitiuum, & ex omnibus confurgunt irregularitates, quæ hic sigillatim tractandæ sunt, propter connexionem quam inter se habent: simulque de mutilatione dicemus, quia eiusdem speciei est, licet imperfecte illam participet.

SECTIO I.

Quæ voluntas in presenti materia necessaria sit ad homicidium voluntarium.

S Vpponimus ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem, id enim passim habetur in iure, dist. 50. & tit. de Homicidio, per multa capita. Vt autem modus huius irregularitatis intelligatur, explicare oportet, quæ voluntas, & quæ actio ad voluntarium homicidium iuxta consuetudinem iuris sufficiat, hinc enim resolutio huius disputationis pendet, vt recte Caiet. notauit 22. quæst. 64. art. 7. In presenti ergo quæstione certum in pri-

Plurima sunt à dicto inter irregularitates nunc dicitur.

Regula 22. de homicidio.

Caiet. 22. quæst. 64. art. 7. In presenti ergo quæstione certum in pri-